FRANCISCO I.

ROMANORVM IMPERATORI RENVNCIATO

BENEFICENTISSIMO PRINCIPI

ORATIO

COLLEGII FLORENTINI GRATVLANTIS NOMINE


A JOSEPHO M.ª MAZZOLARIO

E SOC. JESV

HABITA FLORENTIAE IN AEDE

S. JO. EVANGELISTAE

XIV. Kal. Febr. an. a Chr. N. MDCCXLVI.





FLORENTIAE MDCCXLVI.
Ex Typographio ad Inſigne Apollinis in Platea S. R. C.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

QVod erat maxime timendum, Florentini, ne,
in tanto, tamque gravi ac luctuoſo bello, quo
Europa conflagravit univerſa, quum de Ro-
manorum Imperatore renunciando ageretur,
aut longius, quam par erat, protraheren-
tur comitia, aut e tanto ornatiſſimorum
Candidatorum numero non is eligeretur,
m nos potiſſimum exoptaremus, quique prae reliquis
mi Imperii dignitatem gravitatemque ſuſtinere poſſet:
ane periculum, divino certe conſilio, depulſum atque
tum, ſumma quadam & inuſitata cum voluptate, in-
ur: eaque res, quae timorem nobis unice adferret, quam-
communibus omnium noſtrum votis obſtituram ſub-
bamur, nec diuturniorem moram comitiis ipſis injecit,
impedimento fuit, quo minus fortem, gravem, con-
em, incredibili fide, admiranda pietate, divina virtute
ditum, nobiliſſima ſtirpe, clariſſimis majoribus ortum, eum
que, quem difficillima Reip. tempora maxime requirerent
poſtularent, Imperatorem haberemus. Quem porro habue-
s, ſcimus omnes; & tantam felicitatem non ſolum
cisco Lotharingiae primum & Barri, deinde Magno
riae Duci, poſtremo Romanorum Imperatori declara-
ſed nobis etiam jure optimo gratulamur, ex eaque

Digitized by Google

eo jucundiores capimus fructus voluptatis, quo acerbiorem timoris moleſtiam ſubſtinuimus, quum incertum comitiorum exitum vereremur. Optabamus enim, tantam virtutem non praeteriri, eam omnium conſenſu poſci ad Imperium, atque ejuſmodi eſſe videbamus, ut honor ipſi, non ipſa honori deeſſet. Verum, quum ad illa ipſa tempora, in quibus verſaremur, animum mentemque converteremus, & bellicos tumultus reputaremus, adflictabamur, & prope perculſi concidebamus, eamque ſpem, quae nobis oſtendebatur, ſi non evaneſcere omnino, at ſaltem extenuari, vix ferre poteramus. Et ſane, ſi tempus umquam quietis & tranquillitatis pleniſſimum expeti debet, illud eſſe intelligimus, quo pacis ac togae conſilia habenda ſunt, atque animum ad graviſſimorum negotiorum conſultationem transferre oportet. Quis enim conſilio locus eſſe poſſit, quum inconditis militum clamoribus omnia perſtrepunt, & turbulentiſſimae bellorum tempeſtates excitantur? Animus tunc ſibi minime conſtet neceſſe eſt, nec, ſi velit, id quidem poſſit, quum totus in eo ſit, ut Martis viciſſitudines expaveſcens, & adverſos belli reformidet eventus, & victoriae ipſius ferociam inſolentiamque perhorreſcat. Quamobrem quid cauſae fuiſſe arbitrabimur, cur, in tanta perturbatione rerum atque motu, res tam bene proceſſerit, ut adlectus ſit is, quem & nos potiſſimum vellemus, & unus omnium maxime amplitudinem ſummi Imperii capere poſſet? Mihi quidem, poſt Dei optimi maximi, cum omnia, tum praecipue imperiorum regnorumque viciſſitudines ſapientiſſime moderantis, conſilium, nulla videtur juſtior hujuſce rei cauſa proferri poſſe, niſi ſumma commemorabiliſque FRANCISCI virtus, quae in omnium oculos incurreret, omnium animos ad ſe adliceret, omnium voluntates copularet, ſtudia conciliaret, atque illi, tamquam omnium digniſſimo & maxime idoneo, ſuffragium ipſa ſuum ultro ac volens deferret. Quid enim bellorum ſtrepitus, quid tumultus obficerent, quum facilis ac prope explicata deliberatio eſſet, quum pene nullus dubitationi relinqueretur locus? ut mi-

mirari omnino non ſubeat, ſi tantorum bellorum graviſſimi motus eo demum reciderint, ut moram quidem aliquam comitiis ipſis ac noſtris ſtudiis adtulerint, ſuffragatorum vero mentes a negotii procuratione non avocarint; nec aditum ad imperatoriam dignitatem FRANCISCO intercluſerint. Adceſſit itaque petitor is, qui nobilitate, opibus, potentia, gratia valeret multum, virtute plurimum: in quo nihil non magnum atque inuſitatum intuentium oculis atque animis objiceretur. Adceſſit, & ſe ampliſſimo ſuffragatorum ordini ita probavit, ut ſtatim innotuerit, eum eſſe, quem tanto Imperio parem deligerent. Hinc igitur tanta animorum conjunctio ac ſtudiorum conſpiratio repetenda eſt; hac potiſſimum de cauſa tam bene feliciterque, tamquam in ſumma pace atque otio, ſuſceptum tranſactumque negotium, &, quod orbi terrarum univerſo fauſte propereque eveniret, FRANCISCVS Imperator eſt conſtitutus. Quare, quum mihi id oneris impoſitum ſit, ut, meorum Sodalium nomine, in auſpicatiſſima FRANCISCI renunciatione verba facerem; nihil, ſingula adtento, uti decebat, animo inveſtiganti ac perpendenti occurrit, quod magis & veſtra frequentia, & argumenti majeſtate dignum videri poſſet, niſi illud oſtendendum ſuſcipere: nihil videlicet nobis utilius, temporibus adcommodatius, ſuffragatoribus praecipue optabilius contingere potuiſſe, quam FRANCISCVM Imperii petitionem adornaſſe; cujus ſi nobiliſſimum Genus reſpexiſſent, peti ex eo non potuerit non optimus Imperator, ſi honeſtiſſimum Conjugium, FRANCISCVM ipſum Imperatorem eligi maxime decuerit, ſi praeſtantiſſimam Virtutem, idem creari Caeſar omnino debuerit. Quod ſi praeſtitero, non ſolum demandatas mihi partes impleſſe, exſpectationi veſtrae ſatisfeciſſe, FRANCISCVM, ſi non pro merito, at ſaltem pro meis viribus ac tenuitate, me celebraſſe exiſtimabo, verum etiam ſanctitatem comitiorum, ſuffragatorum integritatem, ſuffragiorum ipſorum religionem, atque ampliſſimum ordinem nihil aliud, quum tantum Caeſarem inauguravit, niſi commune bonum, orbis terrae pacem, incolumitatem Imperii, omnium noſtrum vitam, ſalutem, otium concordiamque ſpectaſſe, ſatis cumulate me docuiſſe arbitrabor. At-

Atque ut a nobiliſſima Familia, quod primum in partitione poſui, proficiſcatur oratio mea, ea nempe eſt e Lotharingicorum Principum ſtirpe propagata. Quum hoc dico, non ſolum magnum aliquid ad ipſius commendationem protuliſſe, ſed illud potiſſimum, quod ad rem praeſentem maxime facit, adfirmaſſe mihi videor, eam videlicet hujuſmodi eſſe, quae non potuerit non optimum praeſtare Imperatorem: quod, in maximo praeſertim negotio, quanti faciendum ſit, ignoret is, cui ne leviſſimi quidem momenti provincia tradita fuerit atque commiſſa. Et ſane, quam ceciderit peropportunum, eum accedere Candidatum, cujus ſi genus tantum ſpectares, non ſolum ab omni errore, ſed etiam erroris ſuſpicione abeſſes, Francofordienſes in primis ſuffragatores experti ſunt; quum illud, vel in ipſo obeundi graviſſimi muneris exordio, veris uſurpare ſermonibus ſummus ordo potuerit: Si Imperatorem ex hac ſtirpe elegero, ſi ex hoc genere optaro, ſi Lotharingium caeteris praetulero, non erravero.

Ne vero me cauſae magis, quam veritati ſervire quiſquam putet, non recuſo, quo minus praeclara ſpectatiſſimae Familiae monumenta, non tam litteris, quam immortalitati commendata, ſiquidem res ipſa, qua de nunc agimus, id poſtulet ac requirat, conſulamus. Equidem primo non ſum neſcius, Lotharingiam Familiam hoc potiſſimum nomine cenſeri, quod longe vetuſtiſſima ſit, cujus quidem ſi primordia velimus inveſtigare, & memoriam, quantum poſſumus, & praeteritorum temporum obſcuritas patitur, eruere ultimam, ea a priſcis illis iiſdemque clariſſimis Alſatiae (1) Comitibus atque Lantgraviis neceſſario nobis erit repetenda, atque ad ipſum undecimum uſque ſeculum revocanda. Verum, quum eadem ferme nobilitatis, ac fluviorum, ratio ſit, qui, quo majora terrarum ſpatia obeunt, longiuſque a proprio fonte digrediuntur, eo magis aquis, undique confluentibus, dilatantur ac creſcunt; recedamus ſane ab extrema illa Gentis origine, ſimul etiam ad inclytae Stirpis caput veniemus, propiuſque antiquiſſimae Familiae vetuſtatem dignitatemque adſequemur. Verum quid eſt, quod clariſſimum genus cum

flu-

Digitized by Google

uviis comparem, atque ex illorum contentione inluſtrandum utem, quos quidem, ſi diſtrahi contingat, imminui ſenm ac prope exſiccari videmus; contra vero nobiliſſima tirps licet in plures ſubinde fuerit, quos vocant, ramos diucta ac propagata, tantum abfuit, ut quicquam de propriis rnamentis deperderet, ut ea conſtantiſſime retinuerit, & reenta magis magiſque in dies auxerit atque amplificarit. Hic ero nolit quiſquam exſpectare, dum pene innumerabilia praeantiſſimorum Heroum genera conſecter, quorum ſi indolem gregiam, ſi fortem animum, ſi praeclara facinora, ſi geſtas res pectet, Lotharingios agnoſcet; ſi vero ſingulos a me recitari ac elebrari velit, id aget, ut contento curſu ad FRANCISCVM proerantem remoretur, illud requiret, ut eorum perſequar laules, quorum nomina ſatis nota ſunt, gloria pervagata, fama empiterna. Quum vero tanta ſit Lotharingiae Familiae dinitas atque excellentia, mirabimur, ex hac potiſſimum Gente clariſſimis Regibus, potentiſſimiſque Imperatoribus tam ſtulioſe petita connubia, quippe qui hoc ſibi certo perſuadeent, fieri omnino non poſſe, ut ad maxima quaeque nati on eſſent, qui ex hac Stirpe prodirent, & Lotharingio ſanuine crearentur. Quo factum fuit, ut ferme nulla ex prinipibus Europae familiis ſit, qua cum magna huic non intercelat neceſſitudo, quaeque cum Lotharingio genere arcto proinquitatis vinculo non copuletur. Quae cum hujuſmodi ſint, uaero ex vobis: hominem, hac gente natum, hac Famiia progenitum, his majoribus ortum, utrum tandem eum parem laudem genti, familiae, majoribus referre non poſe, ac propterea, ſi Imperio praeficiatur, a tanta nobilitate degenerem futurum, atque adeo non optimum evaſurum Imperatorem exiſtimetis?

Verum qua de Familia loquor? De ea videlicet, quae ſola generis vetuſtate commendetur (quamquam hoc ſane parum non eſt, quum multum interſit ad indolem animi, & corporis ipſius habitudinem, qua ſtirpe naſcaris), an vero de ea, ex qua vel in primis optima regendorum populorum, quae quidem prima Caeſaris laus eſſe debet, peti diſciplina poſſit? Hoc vere mihi videor eſſe dicturus, Lotharin-

ringiam gentem, ad id potiſſimum natam, ut populos gubernaret, adminiſtraret provincias, ad id reſervatam, ut, quae diutiſſime cum Imperio fuerit, ſummo tandem Imperio admoveretur. Avitum illi Lotharingia, quae Galliae Belgicae regio eſt multo ampliſſima, regnum fuit, cui quam pridem imperare coeperit, ex eo cognoſcatis licet, quod, iiſdem omnino auſpiciis, & Familiae primordia, & regni initia a Gherardo illo, nobiliſſimae gentis principe atque auctore, fuerint conſtituta. Quamquam non tam adtendendum eſt, quamdiu cum imperio fueris, quam, in imperio quomodo te geſſeris, conſiderandum. Aliis praeeſſe, ſaepe fortunae & ſortis eſt: at bene praeeſſe numquam non religionis, conſilii, juſtitiae, fidei, moderationis caeterarumque virtutum; quae ſemper optimorum Principum comites eſſe conſueverunt, & florentiſſimorum adminiſtrae regnorum. Hae porro in Lotharingiis Ducibus, quam eximiae ac ſingulares exſtiterint ſi noſcere velitis, facite, ut praeclaram ornatiſſimorum Principum ſeriem vobis ob oculos proponatis. Quis enim religione praeſtantior Simone (2) illo primo, qui templa, vetuſtate conlapſa, reſtituerit, maxima aedificarit coenobia, ampliſque reditibus ſtabiliverit, & cum ſanctiſſimis illis viris Bernardo & Norberto conjunctiſsime vixerit? Quis Matthaeo II. conſilio melior, qui, a principibus viris arbiter ac diſceptator electus, impeditiſſima quaeque tanta dexteritate explicaverit, ut non ſolum lites controverſiaſque diremerit, verum etiam animorum ipſorum motus aeſtuſque pacarit? Quis ſuorum ſtudioſior atque amantior Joanne, qui omne tempus illud, quod reliquum ipſi bella, prope aſsidua, fecerant, quae quidem ipſe bella pleraque regni ipſius cauſa ſuſceperat, omne, inquam, tempus non ſuis, ſed ſuorum commodis tranſmittendum putavit? Nam quid de Antonio (3) dicam? qui, licet multis copiis praefuiſſet, clariſsimaſque victorias reportaſſet, tanto tamen pacis ac concordiae ſtudio tenebatur, ut omni ope celeberrimas illas inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Galliae Regem, ſimultates componendas curarit; ejuſque rei cauſa ſumma hyeme, ac podagra laborans, in iter ſe dare non dubitaverit. Quid de

Ca-

arolo III. (4) atque Henrico loquar? quorum alter, otium
anquillitatemque nactus, ſanctiſsimas ſapientiſsimaſque le-
:s tulit, ut etiamnum Lotharingici juris conditor habea-
.r; alter vero, mite, ſupra quam credi poteſt, ſortitus
genium, tanta in omnes comitate erat ac facilitate, ut
ıerito cognomento Bonus fuerit adpellatus. Quid de in-
ctiſsimo illo Auſtriacarum copiarum imperatore Carolo V.
aedicem? quem, in ſumma fortuna, tanta animi modera-
one fuiſſe adcepimus, ut eum ſecundae quidem res ſemper
narent, numquam vero victoriis triumphiſque inſoleſcen-
m efferrent. Quid de Leopoldo commemorem? cujus
;regias animi laudes uno verbo complectar, ſi eundem
ptimum FRANCISCI parentem exſtitiſſe dixero. Quid de tot
iis praeclariſſimis ducibus proferam? quorum ſi pietatem,
lem, conſtantiam, religionem perſequi velim, infinitus ſim.

Hae igitur, Florentini, Lotharingiorum Principum ſin-
ılares admirabileſque virtutes, haec ad poſteritatem ex-
tandam propoſita exempla, haec ad informandam re-
:ta documenta. Jam vero, quum in exemplis tanta vir-
s reſideat, quantam vix cogitatione adſequi poſſumus,
ud, credo, quiſquam verebitur, ne, ſi ea maxime inge-
ıo cuidam & clariſſima ſtirpe nato proponantur, mi-
ıs ſint roboris ac ponderis habitura. Sed, Deus immor-
! quo ſtudio nobiliſſimus quiſque incenditur, qua cupi-
tate inflammatur, quos ſpiritus, quos animos ſumit,
ıum proprios annales luſtrat, quum majorum ſuorum
onumenta evolvit, quum facta ediſcit, ut ea, quae le-
t, non tam oculis uſurpet, quam toto animo adri-
at ac penitiſſime combibat? Quid vero? ſi a via illa,
ıi majores ſui inſtiterint, quamque non tam paſſibus tri-
m, quam gloriae virtutiſque veſtigiis impreſſam reli-
ıerint, tantiſper deflexerit: quam facile ad inluſtria ge-
ris ac ſanguinis facinora, peropportuna avorum com-
emoratione, revocabitur, revocatuſque in officio contine-
:ur! Quid? ſi eum & natura inertem finxerit, & otium
nfirmarit, an etiam magnam illam declinare exemplo-
m vim poterit, quin ſe iis ſtimulis excitatum ſentiat,

quibus ad virtutem ac majorum ſuorum imitationem, tamquam admotis calcaribus, vel nolens repugnanſque compellatur? Nunc vero voſmetipſi dijudicate, qualem quantamque hujuſmodi vim futuram exiſtimetis, ſi praeſertim generoſa quaedam indoles adſit, ſi cultus, Principe dignus, accedat, ſi nulla naturae, ſi nulla inſtitutionis adjumenta deſiderentur. Videte, utrum, qui clariſſima familia natus, qui liberaliſsima domo educatus, qui hac diſciplina informatus ſit, qui tot exempla, tam clara atque egregia, ob oculos habeat, qui quocumque ſe vertat, ſuorum decora adſpiciat, utrum, inquam, is eſſe poſſit, qui aliis praeeſſe neſciat, atque eas artes, plane regias, quibus Imperia & diutiſſime vigent & ſapientiſſime gubernantur, ignoret.

At haec privata virtutum, quas ſupra recenſuimus, quaſi palaeſtra optimum praeſtare quidem Principem poterit, non autem Imperatorem, quem maxime bellicoſum eſſe oporteat. Bellicoſum vultis? Immo vero, ſi fieri poſſet, in re militari nullus praeſtantior Caeſare, ſcientior nullus eſſe deberet. Cui enim tot bella, & magnitudine gravia, & genere diverſa, & exitu ipſo formidoloſa ſuſcipienda arbitramini, quot ab uno Romanorum Rege atque Imperatore gerenda ſint? qui modo contra potentiſſimos Reges, fortiſſimaſque nationes, modo contra taeterrimas Chriſtianoque nomini infenſiſſimas gentes in aciem prodire debeat; ut ei non tam pro ſervandis regnis tutandiſque provinciis dimicandum ſit, quam pro ipſa Religione, quam in ſummum diſcrimen non raro adductam ſentiat, vindicanda decertandum. Verum ubi nam militarem ſcientiam viguiſſe putabimus, ſi hanc Lotharingiae Genti, hac potiſſimum laude florentiſſimae, denegemus? quae, his ſtudiis atque artibus dedita, eo venit, ut victoriis ac triumphis, pene innumerabilibus, famam ſuo nomini pepererit ſempiternam. Ecquod enim bellum tam grave fuit, quod detrectarint, tam difficile, quod non ſuſceperint, tam impeditum, quod non confecerint? Ecqua ora tam longe disjuncta, quo cum maximis exercitibus non adpulerint? Ecqua gens tam barbara, quam

bel-

Digitized by Google

ello tentatam non ſuperarint? Ecquis demum in orbe terrum locus, ubi praeclara bellicae virtutis exempla non ediderint? Agite vero, ne me aut nobiliſſimae Familiae plus imio blandiri, aut velificari cauſae fortaſſe meae ſuſpicemii, agite, inquam, quandoquidem illud, aetate hac praeſerim noſtra, apud Reges in more poſitum eſt, minimeque ab RANCISCI magnanimitate atque adeo a conſuetudine abhorat, FRANCISCVS caſtra moveat, paludatus exeat ſuarum ipſe opiarum imperator. Illud ajo, confidenterque pronuncio, ulla aditurum loca, quae Majorum ſuorum non tam paſſius, quam victoriis, non ante fuerint perluſtrata. Mitto Lotaringiam, quae adeo clariſſimorum Ducum tropaeis moumentiſque referta eſt, ut, ſi ea velim ſingula percenſere, eſciam, an exitum tandem aliquem habitura eſſet oratio mea. Quid? Belgium petat? Fridericum IV. offendet, qui Philippo Valeſio comes additus, ejuſque rebus impenſiſſime ſtudens, ſe difficillimi belli offenſionibus commiſit, vitamque ipſam ugnando una cum ſanguine fortiter in acie profudit. In Galliam ſe conferat? Non poterit profecto, quin memorabilia Guiſiorum facta, & numquam ſatis praedicandam illam de Hugonotis celeberrimamque victoriam recordetur. In Hiſpaiam eat? Obcurret ſtatim Rodulphus ille, qui Caſtellanis, iſius fidem implorantibus, & auxiliarias manus contra inentes Maurorum copias petentibus, praeſto fuit, & nefarios npuriſſimae gentis conatus repreſſit. In Italiam veniat? Doebitur, commiſſo praelio, devictos ab Antonio Venetos, & Mediolanenſem ditionem Franciſco I. Galliarum Regi, cum ranciſci ipſius, tum Antonii virtute, addictam. Ex Italia in Germaniam ſe recipiat, Germaniam ipſam, Pruſſiam, Tranſilaniam, Hungariam percurrat totam: nonne ubique Maorum ſuorum tropaea mirabitur, monumenta intuebitur, cta recognoſcet? Teutonicos equites, contra Lithuaniae ucem ab Joanne defenſos, Teutonicos iterum equites vincatos, ſuperatum proſtratumque ab Carolo II. Pruſſiae egem, eundemque captivum Marienburgium miſſum. Quid? t multa praetercam, nonne recentia adhuc virtutis Caroli V. (5) eſtigia paſſim adſpiciet? nonne ubique ipſius narrari geſta

ac celebrari audiet? Bonnam atque Moguntiam in deditionem redactas, inſtructiſſimas Tekelii manus fuſas exciſaſque, Strigoniam obſeſſam, Vicegradum captum, Budam a furaciſſimis Barbarorum manibus extortam, Tranſilvaniam atque Hungariam Imperio adjectam. Verum eſto, his quaſi anguſtiis diſtineri atque includi minime poſſit: abeat, excedat, Europa proficiſcatur, ipſa transmittat maria. Seſe in Africano littore ſtatim Tunetum obferet, quo adpulſus Carolus ſecundus una cum Borbonio Duce Chriſtianos captivos libe tate donavit, Carthaginem obſidione cinxit, Africanum exercitum adortus magna clade affecit, Tuneti ipſius Regem ingenti pecunia multavit. At nondum contentus ſit, & remotiſſimas alias terras peragrare velit. Non recuſo. Hieroſolymam uſque contendet? Gentile avitumque regnum praeſens inviſet, ſanctiſſimaque illa loca luſtrabit, loca, inquam, Gottifredi Bullionii, celeberrimi illius Ducis, conſilio ac fortitudine, multis Turcarum millibus caeſis deletiſque, in Chriſtianorum poteſtatem redacta, atque foediſſima nequiſſimarum gentium ſervitute adſerta atque emancipata. Quamquam nolit tot laboribus frangi, tot itineribus defatigari, & prudentiſſimus Imperator, non tam de ſua, quam de ſuorum ſalute cogitans, nolit, inquam, vitam illam, qua etiam noſtram contineri ſciat, in tot diſcrimina adducere, atque hoſtium telis objicere. Sedeat igitur Viennae, atque in illa arce orbis terrarum, quam jure meritoque alteram Romam nominaverim, conquieſcat. Quid? nullum ne illic rerum praeclare geſtarum exemplum? nullum laborum incitamentum? virtutis documentum nullum? Immo vero longe clariſſimum & maximum, quod nulla umquam oblivione delebitur, nulla vetuſtate obſcurabitur, nullo non tempore muta ipſa propemodum ſaxa loquentur ac praedicabunt. Viennam ipſam loquor, Imperii caput, Imperatorum ſedem, omnium gentium domicilium, Chriſtianae Religionis propugnaculum, maximis opibus, acerrimo bello, duriſſima obſidione a validiſſimo Turcarum exercitu tentatam, oppugnatam, circumſeſſam, demum invictiſſimi Caroli V. Lotharingii labore, virtute, felicitate defenſam,

pro-

Digitized by Google

propugnatam, explicatam. Haec qui ſciat, qui recordetur, qui ſibi ob oculos conſtituat, qui vel identidem reputet, & magnorum operum exempla non ſumat, & ad tantarum virtutum imitationem non exardeſcat, &, quandoquidem Imperator electus ſit, Imperium illud, quod Majorum ſuorum, quorum ne proprium quidem eſſet, ſudoribus tamen, periculis, ſanguine, vita ſervatum intelligat, illud, unquam, omni ope, cura, induſtria, diligentia non tueatur, arbitror eſſe poſſe neminem. Quid hoc loco exiſtimetis, non curo; qui veſtri ſint ſenſus, non laboro. Eo enim rem adduxiſſe mihi videor, ut aut mecum ſentiatis, aut, ſi aliquem tanta ignavia reperiri hominem poſſe contenditis, hunc Lotharingium eſſe omnino negetis, & turpiſſimum dedecus non minus a nobiliſſima ſtirpe, quam a FRANCISCO ipſo deprecemini.

Quod ſi a praecellentiſſima Familiae dignitate, quae vel ſola, quum tanta ſit, in ſummi honoris contentione plurimum valere debuit, ampliſſimum etiam Conjugium minime ſejungendum putemus, illud profecto dubium eſſe non poterit, FRANCISCVM videlicet Imperatorem creari maxime decuiſſe. Ac primo quidem date illud mihi, ut tamquam certum ſumam, non ſemper quum de graviſſimis etiam rebus agitur, quid fieri omnino debeat, ſed interdum, quid expediat, ſaepe etiam, quid deceat, ſpectari oportere. Quod quum ejuſmodi ſit, ut a nemine negari poſſit, jam ad eum locum, qui mihi in oratione ſecundus eſt, adcedo, ut de altero ſummae dignitatis obtinendae adjumento dicam. MARIAM TERESIAM, Auſtriaca ſtirpe ortam, Caroli VI. Imperatoris filiam, FRANCISCVS ſibi duxit uxorem. Magnum enimvero Conjugium, quo factum fuit, ut Familiis duabus, tota Europa ſpectatiſſimis, Auſtriaca & Lotharingia, quam arctiſſimo neceſſitudinis vinculo inter ſe conjunctis ac conligatis, & optimae faeminae praeſtantiſsimus vir obveniret, & optimo viro praeſtantiſsima faemina traderetur. Quamquam ita ſibi MARIAM TERESIAM in ſponſam adlegit FRANCISCVS, ut non ſolum ipſe viciſſim ab ea in virum, quod omnino neceſſarium erat, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam a Carolo, qui lectiſſimae faeminae amantiſſimus pater eſſet, ſumma voluntate in generum adoptaretur. Generum itaque ſibi Carolus FRANCISCVM voluit, quum ei ſuaviſſimam Filiam matrimonio junxit. Sed quorſum haec a me dicta eſſe arbitramini, Florentini? Eo ne animo, ut ex hoc tamquam Caroli teſtimonio illud conligere poſſetis, quam magna in eo virtus ac dignitas exſtiterit, qui á tanta faemina in virum, a tanto Imperatore fuerit adſcitus in generum? Facerem equidem libentiſsime, ſi locus poſtularet, ut argumento omnino certo uteremini. Alio tamen ſcitote me, quum Caeſaris teſtimonium protulerim, ſpectaſſe. Quo igitur? Ne longum ſit: ego ſic intelligo, Carolum, quum ad Filiae nuptias animum adpulit, non minus de ſponſo MARIAE TERESIAE eligendo cogitaſſe, quam de ſubceſſore ſibi propemodum conſtituendo deliberaſſe. Quo quidem loco nolim eſſe gravis ampliſſimo ordini, penes quem ſummam illam creandi declarandique Caeſaris poteſtatem eſſe & ſcio & fateor, ſi in graviſſimi muneris partem novum veluti ſuffragatorem vocem, maximumque de Imperatore renunciando negotium cum clariſſimo item Imperatore communicandum putem. Dabit, opinor, hanc veniam, nec in hoc mihi ſubcenſere volet, quum ea, quae dicam, illius ornandi cauſa dicam, quem ipſemet tanto dignum honore judicaverit. Agite modo, Florentini, &, qui illud doceri poſsit, adtendite, & me eo, quo hactenus uſi eſtis, benevolo ſtudioſoque animo auditote.

Etenim primo, quo nam potiſſimum tempore de MARIA TERESIA FRANCISCO deſpondenda a Carolo agitari coeptum eſſe exiſtimatis? Eo ne, quo Carolus, cum opibus tum prole florens, filium jam ex Eliſabetha conjuge ſuſcepiſſet, quem ſuorum regnorum haeredem relinqueret; aut eodem, immatura morte ſibi praerepto, reliqua ſaltem alterius ex ſe procreandi ſpes eſſet, quae miſerum dejectumque parentem in acerbiſſima luctuoſiſſimaque filiorum orbitate ſubſtentaret? Non eſt, cur hoc loco, quid mihi reſponſuri ſitis, exſpectem, quum nemo unus ignoret,

et, tunc MARIAE TERESIAE FRANCISCVM quaeſitum eſſe, quum o adducta res jam veniſſet, ut, omni filiorum ſuſcipienlorum ſublata ſpe, nullo modo nobiliſſima Familia, niſi ıoc praeclariſſimo Conjugio, reparari poſſe videretur. Et ane quid aliud Carolum ſpectaſſe arbitrabimur, niſi ut Lotharingiam Gentem non minus honeſtaret Conjugio, juam ornaret judicio, quo ſatis indicaret, cupere ſe illi raeſertim Familiae (quandoquidem ita Superis viſum eſet, ut ſine virili prole decederet) deferri Imperium, juam ipſe reliquis praetuliſſet; illam porro reliquis ab ſe raelatam eſſe omnibus, ex qua rariſſimae Filiae Conjugem ırceſſere placuiſſet. Niſi vero id velimus ſubſpicari, aut apientiſſimum Imperatorem nihil in poſterum providiſſe, ut amantiſſimum Parentem, non omni, qua per ipſum oſſet, ratione optimae Filiae conſuluiſſe: quorum alterum b Caroli prudentia abhorret, alterum vero abs natura tque ingenio patris. Haec ſunt non obſcura erga Loharingiam Gentem Caroli voluntatis indicia. Verumtamen ſunt ılia clariora. Eam enim filiam FRANCISCO nuptui tradidit Carolus, quae natu maxima eſſet, quamque eximie charam ıaberet. Sed ne id quidem ſatis. Eam, Florentini, tradidit, juam avitorum regnorum omnium, provinciarumque haeedem inſtituerat; eo certe animo, ut, ſi quando ad illam Gentem, quam ipſe magni fecerit, cuique MARIAM TERESIAM, amquam ſuae obſidem voluntatis, commendarit, ſi quando, ıquam, ſuffragatoribus ita ſentientibus atque adprobantibus, perveniſſet Imperium, nec dignitatis ornamenta deeſſent, nec praeſidia ſtabilitatis quaererentur. Quid vultis amplius? potuit ne clarius tanti Imperatoris erga FRANCISCVM ſtudium oſtendi? potuit ne Carolus ipſe, quid hac de re ſentiret, quid naxime vellet, explicatius declarare? Habemus igitur judicium Caroli, cum perſpicuum tum honorificentiſſimum & naximum, cui quidem ego tantum tribuo, atque ab unoquoque tribuendum cenſeo, ut, quod Carolus ipſe judicarit, d ſaltem ab omnibus decuiſſe concedatur. Quid enim praeſtantiſſimo Imperatori defuit aut deeſſe potuit, quamobrem ejus ſententiam hac in re minus probandam, ſpernendum

ju-

judicium, auctoritatem negligendam putemus? Vſus ne rerum? qui tot annos Imperium ita gubernaſſet, ut unus pene omnia digereret, unus omnia componeret, omnia obiret unus, ac proinde, quid populorum ſalus poſceret, quid provinciarum rationes poſtularent, quid quaeque res ferret, ſive publica ſive privata foret, noſſe, ſcire, tenere deberet. Charitas ne erga populos, ut propterea eorum curam penitus abjeciſſe, nec, cujus potiſſimum fidei ac tutelae eos committeret, laboraſſe credendus ſit? qui illos, quoad vixit, unice dilexerit, quorum rebus ſemper ſtuduerit, commodis defuerit numquam. Imperii ne cura? qui illud ad extremum uſque vitae ſpatium ita adminiſtravit, ita, deſperata etiam virili prole, conſervandum amplificandumque curavit, ut illud chariſſimo cuidam ab ſe genito filio relicturus videretur: quo quidem nomine haud ſcio, an ſit admirandus ac commendandus magis. Is itaque talis ac tantus Imperator, ex animi ſui ſententia atque adeo e republica fore, ſi Imperium ad Lotharingios Principes deferatur, clare atque aperte indicabit. Accedet porro ex ea Familia tam excellenti nixus auctoritate FRANCISCVS, atque Imperium petet. Et quiſquam erit, qui ſubſpicari poſſit, Caroli judicium apud ſapientiſſimum prudentiſſimumque Senatum non graviſſimum futurum, ut idcirco ejusdem opinionem, quam ſuo conſilio, in tanta deliberatione, votis Patrum atque ſuffragiis praeiſſe cognoſceret, minus attendendum duceret, &, quod ipſe probaſſet, non decuiſſe exiſtimaret?

Verum eſto, quod tamen numquam adducar ut credam, potuerit exſtincti Caroli atque demortui judicium negligi: potuit ne aeque cupidiſſimae Conjugis, ſuperſtitis atque incolumis, ſtudium repudiari? Quod quidem eſt alterum, ad acquirendum Imperium, omnino ſingulare ſubſidium, quod ex ſuo Conjugio FRANCISCVS eſt conſequutus, ut ea de cauſa, etiam ſi cetera deeſſent, illum eligi Imperatorem maxime decuerit, qui ſumma electiſſimae Faeminae gratia niteretur. Atque hic, ſic vos Superi ament, Florentini, nolite putare, me de ea gratia loqui, quae aut inanibus vulgi rumoribus parta, aut fictis adſentatorum mendaciis quaeſita, aut etiam quodam aeta-

ta-

Digitized by Google

ıtis venuſtatiſque flore collecta fuerit. Valeat haec modo a-
ud imperitam multitudinem, quae ſpecie ducitur, cupidita-
: trahitur, & res ſenſu magis quam ratione aeſtimare conſue-
it. Valuerit olim in Romanis illis comitiis, in quibus Can-
idati, tamquam in turbulentiſſima aliqua tempeſtate conſtitu-
i, quem curſum tenere deberent, ignorarent omnino, ſed
ıcerti illo populari vento jactarentur, illarum concionum
uctibus propemodum abſorberentur, & tum demum, quaſi
uodam naufragio defuncti, praeter ſpem expectationemque in
ortu collocarentur. Hujuſmodi gratiam cum plenam tumul-
us, plenam ſollicitudinis, tum omnino vacuam ac verae
ıudis egentiſſimam, ſibi comitia illa, ſibi conciones illae ha-
uerint; nefas, illa capi aequiſſimos Patres; turpe, prudentiſ-
mum Concilium moveri; omnino non ferendum, illam a
ıe nominari, quam haec ipſa gravitas loci, ex quo dico, re-
ıgiat atque averſetur. De ea igitur ſcitote me gratia loqui,
e ea ſermonem a me eſſe inſtitutum, quam ornatiſſimae
oſt hominum memoriam Faeminae eximiae animi dotes, ra-
ı ındoles, ingenium facile, ſingularia in omnes merita, vir-
ıs denique ipſa pepererit ac conciliarit. At quae nam vir-
ıs, Deus immortalis! quam inuſitata! quam incredibilis! quam
rope divina! Repetite, quaeſo, atque in memoriam revoca-
:, quae de illa, poſtremis hiſce temporibus, fama vulgavit,
uae nuncii litteraeque adtulerunt, quae ipſi audiſtis, quae
:iam, pro veſtro ſummo erga inſignem Faeminam ſtudio, ſae-
enumero celebraſtis: tum facilius ſtatuetis, me non poſſe
li tantum impertiri laudis, quantum ipſius virtuti tribuen-
um foret. Quis enim illa, aut religione aut pietate aut
ıavitate morum, aut plurimarum rerum ſcientia, praeſtan-
or? At haec fortaſſe communia. Quid vero illud, omnino
ovum, atque illi proprium, ut cum aliis communicari non
oſſit? Vbi enim aut legiſtis aut audiſtis, Principem Faemi-
ım, clariſſimo Imperatore natam, locupletiſſimorum regno-
ım haeredem relictam, eo tamen redactam, ut ſeſe undique
bellicoſiſſimis nationibus laceſſitam, atque in ſummum for-
narum omnium diſcrimen adductam videret: Illam vero,
lmirabili fortitudine praeditam, adverſanti fortunae non ceſ-

 ſiſ-

ſiſſe, ſed intrepidam obvertiſſe frontem, unam invicta conſtantia tot hoſtibus reſtitiſſe, unam in ſe tot bellorum atque armorum vim excepiſſe, unam acerrime repugnaſſe, atque, inuſitato quodam animi robore ſeptam, non ſolum frangi debilitarique non potuiſſe, ſed admirando ſagaciſſimae mentis conſilio effeciſſe, ut fideliſſimis, ſibique comitate ac virtute devinctis, populis uteretur; quibus freta & inimicorum conatus retundere potuit, vim propulſare, opes fortunaſque patrias tueri, atque ad extremum duorum florentiſſimorum regnorum, Hungariae & Boemiae, incredibili illarum gentium ſtudio ac voluntate, Regina ſalutari. Verum do, vos aliquid hujuſmodi de Tomyride (6) aliqua aut Zenobia (7), clariſſimis invictiſſimiſque faeminis, legendo quaerendoque cognoſſe: attamen, ſiqua erant, quae de illis aut ſuſpicioſa aut etiam nimis exaggerata viderentur, nonne ea nunc credere incipitis, quum vobis ipſis Faeminam videre contigerit, eo amplitudinis, rerum geſtarum fama ac gloria, provectam, ut, ſupra communem ſexus conditionem adſurgens, & praeteritorum temporum memoriam vicerit, & futurorum invidiam ſuperarit?

Hac virtutis praeſtantia, hac dignitate Faemina ſuum FRANCISCO officium praeſtitit, illi adfuit, vehementiſſime favit, & merita, quae & plurima & maxima ad illud ipſum officium adferret, non tam ſua, quam FRANCISCI, eſſe voluit. Miremur ſane, amantiſſimam Vxorem tanto ſtudio in chariſſimum ſibi Conjugem, ferri, diligentiam commendemus, laudemus adſiduitatem, ita tamen, ut hac in re Suffragatorum prudentiam atque conſilium non requiramus. Quî enim poterant tantae Faeminae voluntatem adſpernari, ut ſaltem illud ſibi non perſuaderent, id maxime decere, quod MARIA TERESIA, de Viro unice laborans atque ſollicita, poſtularet? Ignorabant videlicet, illam ita diligi ab omnibus, ut, ejus etiam ipſius gratia, mirifico quodam amore FRANCISCVM proſequerentur? Neſciebant, ita coli a ſuis atque obſervari, ut, quam Dominam ſibi perpetuam vellent, ejuſdem Viri Imperium nullis optarent annorum finibus ac terminis circumſcriptum? Illud demum, opinor, eos latere poterat, MARIAM TERESIAM, etiamſi Virum,

ſum-

ummis laudibus cumulatum, nacta non eſſet, communibus amen omnium votis vel ſolam experi ad Imperium. Quod quidem quum fieri non poſſet, niſi Viro Imperium ipſum obteniret, reliquum erat, ut, FRANCISCVM Imperatorem renuntiari maxime decere, atque id ampliſſimo Conjugio omnino conveniens ac conſentaneum eſſe, prudentiſſime judicarent.

Quamquam quid eſt, quod diutius vos teneam, & patientia propemodum veſtra abuti videar, qui, quum tot ac tanta diſputarim, adhuc de potiſſimo, ad Imperatoriam dignitatem adipiſcendam, adjumento reticuerim? Multum quidem FRANCISCO genus profuit, multum in petitione valuit judicium Caroli, multum etiam MARIAE TERESIAE ſtudium: quae niſi magna ad Imperium obtinendum ſubſidia fuiſſe fatear, mentiar, Florentini. At, qui haec magna adfirmem, idem inritum audebo vel nulla dicere, ſi cum excellenti illa atque admirabili FRANCISCI virtute conferantur. Haec, haec, inquam, adjumentum omnium ſummum, haec maximum & ſingulare ſubſidium exſtitit, haec FRANCISCO clariſſimi Imperatoris auctoritatem conciliavit, haec ornatiſſimae Conjugis officium promeruit, haec Patrum ſuffragia detulit, effecitque, ut ad eum frequentes adcederent, cujus ſi virtutem ſpectarent, illum Imperatorem eligi omnino debuiſſe cognoſcerent.

Hic vero, quum ad eam orationis meae partem venerim, quam vobis multo jucundiſſimam fore ſcio, mihi vero longe difficillimam intelligam, quid adferam, quod dignum hac frequentia, dignum meo ſtudio, dignum exſpectatione veſtra, dignum FRANCISCO ſit? Etenim qua contentione vocis, qua gravitate verborum, quo orationis tenore, qua dicendi vi, qua copia tantam virtutem exaequare me putem poſſe? Praeter quam quod illud mihi imprudenti excidere paſſus ſum, minimeque animadverti, quum Virtutem nominarim, tot ac tanta me uno ſpiritu pronunciaſſe, quanta vix cujuſquam mens, nedum oratio, capere poſſit. Quum enim vox illa longe lateque pateat, immenſum quiddam eſt, Florentini, atque infinitum, quod ad dicendum ſufficiat. Quid? quum Virtutem dicimus, nonne conſtantiam, gravitatem, moderationem, inno-

Digitized by Google

centiam, pietatem, religionem dicimus? Quid vero? juſtitia, liberalitas, facilitas, comitas, fides, quae non minus nos commendant, quam alios reſpiciunt, nonne & ipſae uno virtutis vocabulo incluſae ſunt ac comprehenſae? His adde peculiarem illam bene gerendae adminiſtrandaeque Reipublicae facultatem, conſilium in providendo, in deliberando prudentiam, diligentiam in agendo; quam Virtutem vere dicimus ac nominamus. Huc refer rei militaris ſcientiam, quae & ipſa Imperatoriae virtutis jure ac merito nomen obtinuit, in adeundis periculis fortitudinem, in bellis ſuſcipiendis magnanimitatem, in gubernandis dexteritatem, celeritatem in conficiendis. Quin, etſi tute minime commemoratis virtutibus contentus ſis, alias, non moveor, excogitato, & recenſitis a me tot ipſarum generibus, quandoquidem ita libet, adjicito. Mene igitur, nullo ingenio hominem, nulla eloquentia, his temporis anguſtiis, res tantas, tam varias atque multiplices, mente complecti, oratione perſequi, voce ipſa efferre poſſe? Obruor equidem rerum copia, & me tanto oneri ſubſtinendo imparem eſſe fateor, atque etiam profiteor. Verum quid eſt, quamobrem tantopere angar atque diſcrucier, ſi, quod neque meae, quae certe tenuiſſima eſt, neque cujuſquam facultatis ſit, me adſequi poſſe deſperem? Quid vero ſi illud non ita magno negotio perfici queat, ut & meae tenuitati conſulam & FRANCISCO non deſim? Quid? ſi & illud commode conciliari poſſit, ut, quum nullam praecipuarum FRANCISCI virtutum concelebrandam ſuſcipiam, nullam tamen videar tacitus praetermiſiſſe: tunc profecto non erit, cur de mea facultate conquerar, & ingentem illam laudandi optimi Principis difficultatem cauſer. Ita faciam, Florentini, &, quam virtutem ſpectandam vobis in ſemetipſa ac contemplandam proponere mihi liberum non eſt, eandem, ſaniore conſilio, ex communi hominum ſenſu, qui minime fallitur, graviſſimoque teſtimonio conligam.

Sic igitur vobiſcum ago. Princeps, quem ſui impenſe diligant populi, unice ament, atque omnes prope religioſe co-

colant atque ſubſpiciant, nonne is erit, in quo non ſolum ſumma virtus, ſed omnia virtutum omnium ornamenta exſiſtant? ut propterea eundem fortem, gravem, magnanimum, juſtum, munificum, pium fateri vel ipſa invidia cogatur. Non dubito, quin mihi hoc conceſſuri ſitis, quod omnium ſententia atque opinione certum ſit. Neque enim ita a natura comparati ſumus, ut in omnes aeque Principes, etiam in eos, quorum ſubſumus poteſtati, caeco quodam impetu rapiamur: ſed, ipſo rationis ductu, imperantes adfectui, merita ſingulorum expendimus; quibus uti alii aliis praeſtant, & diſpares inveniuntur, ſic & nos amorem ita noſtrum quodammodo partimur, ut alios aliis praeferamus, alios aliis chariores habeamus. Jam cedo mihi Principem, quem magis ſui dilexerint, quem majori ſtudio, majori fuerint benevolentia complexi, quam Lotharingii FRANCISCVM. Expalluit enimvero Lotharingia ac propemodum exanimata eſt, quum primum audivit, id agi, ut acceptiſſimo ſibi aeque ac jucundiſſimo Principe orbaretur. Verba quidem per aliquod tempus dolori ſuo dedit, atque ea ſpe aliquamdiu eſt ſubſtentata, numquam fore, ut tantum bonum, quo ſe beatam putabat, quod fortunis omnibus atque adeo ipſi etiam vitae anteferret, ſibi inviciſſimae eriperetur. At vero, ubi rebus ſuis deſperare coepit, atque id jam certum deliberatumque eſſe intellecit, ut FRANCISCVS eam relinqueret, atque in externis terris ſedem domiciliumque deligeret, quo gemitu, qua doloris ſignificatione funeſtiſſimum luctuoſiſſimumque amantiſſimi Principis abitum eſt proſequuta! Eam certe animo accepit plagam, quae nullo ſolatio deliniri, nullo umquam tempore obduci ac coire poſſe videretur. Etſi enim, quum novi Principis, FRANCISCO ſubrogati, nuncius adlatus eſſet, reſpirare aliquantulum ac recreari viſa eſt, attamen celeriter oſtendit, ſe, vix conſolabili dolore confectam, tantae virtutis ſibi ablatae atque ereptae recordatione, propemodum contabeſcere. Nam, quum frequentes Lotharingii eo conſilio evocati Nancejium conveniſſent, ut fidem, quam Stanislao Regi ſe libentiſſime praeſtituros de-

cla-

claraſſent, interpoſito, uti aſſolet, religionis ſacramento confirmarent, quumque in eam rem ad confertam multitudinem oratio haberetur, ecce tibi (ea dico, quae minime dubia, neque oratorie excogitata, ſed probatiſſimorum virorum teſtata ſermonibus, & litterarum monumentis (8) conſignata ſunt) ecce, inquam, qui numquam non antea FRANCISCI nomen audire conſueſſent, ſubſtitere primum, rei novitate perculſi; mox, quum illud ſubduci ſilerique animadverterent, recrudeſcente ſtatim, quod adhuc hiabat, vulnere, tanto FRANCISCI ipſius deſiderio correpti ſunt, tantumque apud illos ejusdem memoria valuit, ut ingens omnium Ordinum atque aetatum factus fuerit gemitus, atque amariſſima comploratio conſequuta: non ea certe de cauſa, quod minus in optimi Subcelloris auctoritate, conſilio, fide benevolentiaque conquieſcerent, ſed quod erumpentem quodammodo concepti doloris vim ac magnitudinem ſinu continere non poſſent. Recurſabant videlicet menti caſtiſſimi ſuaviſſimique amiſſi Principis mores: obcurrebat religio, juſtitia, pietas, fides: recordabantur, quam faciles ad ipſum paterent aditus, quam comis in omnes eſſet, quam ſui oblitus, quam memor unice aliorum: recolebant praeſertim illos animos mites, beneficos ac liberales; &, quum tot ac tanta ſeſe objicerent ac pene oculis obverſarentur, qui, amabo vos, poterant non vehementiſſime commoveri? O lacrymas, Franciſco perhonorificas! o ſigna virtutis! o indicia laudum maximarum! Date hoc loco aliquid, per me licet, Florentini, mitiſſimae genti, mitiſſimo ingenio praeditae, quae, ad omnem humanitatem perpolita atque informata, cum reliquis ornamentis omnibus, tum eximia quadam in proprios Principes charitate, cultiſſimis Europae nationibus non concedat, ita tamen, ut veriorem potioremque acerbiſſimi fletus cauſam incredibili FRANCISCI virtuti, qua ſine intimo animi ſenſu carere non poſſet, adſcribendam putetis. Sed in luctu & lacrymis, quae profecto non ſunt hujus temporis, quid eſt, quod mea diutius verſetur oratio? Erigat ſeſe tandem aliquando Lotharingia, ponat dolori modum, &, quum eum, quem tantope-

Digitized by Google

pere dilexerit, ita ſibi ereptum ſentiat, ut eundem in uprema Imperii arce conlocatum videat, ſuae partis atque fficii eſſe intelligat, tantum in communi totius terrarum rbis exſultatione laetari, quantum in privato ſqualore illo uo ac domeſtico ſibi lugendum eſſe exiſtimarit.

Ad vos venio, Florentini, ut non minus ex Lotharin-iae maerore, quam ex veſtra laetitia ſummam FRANCISCI vir-utem comprobem, & hoc ipſum, quod contendo, eorum, uibus humaniſſimis auditoribus utor, certiſſimo teſtimonio onfirmem. Hic vero facite etiam atque etiam, ut auſpicatiſ-mum illum FRANCISCI in hanc urbem adventum recordemi-i. Mementote illius noctis, quae diem vinceret, quum empla, aedes, tecta facibus conlucerent, quum viae paſſim c compita laetis ominibus perſonarent, quum civitas tota iis effuſa ſedibus venienti peregre FRANCISCO obviam iret tque obcurreret: ille vero, magno comitatu, regali pompa, rru invectus, cui Auguſta Conjux adſideret, ſubiret urbem: os circumfuſi tanto ſpectaculo teneremini. Quae, ſuperi! ce-ebritas! quae ſpecies! quis rerum omnium ſplendor ac de-us! Intuebamini os illud, plenum dignitatis ac majeſtatis: ca-iebamini MARIAE TERESIAE honeſtiſſima forma, &, inſolita qua-am admiratione defixi, amabiliſſimorum Principum adſpectu raeſtantiaque ſatiari non poteratis. Quis tunc laetitia non eſtiit? quis gaudio non exſilivit? cujus vox audita non fuit, uae ingentem illam, quae animum occupaſſet, voluptatem on proderet? Laetabantur cives, inſaniebat plebs, ſenes i-ſi, quod in tam fauſtum tempus reſervati eſſent, exſultabant, mnes denique tantam auctoritatem intra haec maenia rece-tam, atque in his veſtris ſedibus verſantem ac commo-antem gratulabantur. Et ſane, quo tempore huic urbi tam agno bono frui datum eſt atque conceſſum, quid a obis abfuit, Florentini, quo minus omnium gentium for-matiſſimi haberemini? Nonne eo veniſſis, quo perventuros vos ipſi quidem umquam crediſiſſetis, ut nulla prope-odum veſtrae felicitati, quae culmen ipſum attigiſſet, ri acceſſio poſſe videretur? Quo igitur nomine eam vir-tem adpellabimus, quae amariſſimo luctu perdat eos, quos

quos reliquerit, ſuaviſſima voluptate perfundat illos, ad quos venerit? cujus diſceſſus acerbiſſimus, adventus jucundiſſimus? de qua tot indicia tam ſolida ac luculenta habeantur, quae dolore, laetitia, gemitu, gaudio, lacrymis, hilaritate, omnibus ferme animi permotionibus comprobetur? Illam ſane magnam, ſummam, admirandam, praedicandam, divinam nuncupatote, ſimulque illud fateamini, hujuſmodi eſſe, cui Imperatorii faſces atque inſignia omnino deberentur. Nam, ſi virtutis tanta excellentia eſt, ut honores omnes ſuo prope jure ſibi vindicet ac depoſcat, videte, quid de ea ſtatuendum ſit, quae in hoc homine reperiatur, in quo ſumma quoque caetera, uti vidimus, exſiſtant, quae a maximae dignitatis petitore ac candidato adferri poſſint.

At, qui domeſticis teſtimoniis abundem, anne carebo externis? Vos, populi, gentes, nationes, regna, provinciaeque, teſtes imploro, vos, loca omnia, quae adiit, per quae iter fecit, ubi commoratus eſt, quem umquam alium juſtiorem ſanctioremque vidiſtis? Subſectus, Caeſaris voluntate, Eugenio illi magno, qua moderatione, qua integritate, qua modeſtia, qua temperantia in caſtris fuit? quanta etiam bellicae fortitudinis ac magnanimitatis reliquit exempla? Sic imperavit, ut obſequentes duces, milites ad nutum promtos, totum exercitum dicto audientem haberet, non tam commendatione dignitatis, quam opinione virtutis. Quid vero, quum, ejusdem Caeſaris mandato ac juſſu, Hungariae propugnacula inſpexit ac recognovit, quis tum aut ejus diligentiam, aut induſtriam, aut curam, aut operam requiſivit? Quam multa tunc ab ipſo aut minus tuta novis praeſidiis communita eſſe arbitramini, aut minus firma, magnis impenſis reſtituta, aut pene nulla a fundamentis excitata? Adſurgere videbantur illi arces ipſae, atque ejus adventum gratari velle, ſub cujus praeſtantiſſimae Vxoris poteſtate, non longo poſt tempore, futurae erant, cujus etiam mox Imperium contra hoſtiles inimicorum conatus atque impetus tueri debebant ac propugnare. Amplam quidem tunc vidit regionem, multas obivit urbes. Verum, qui ſem-

emper, quocumque ſe ferret, comitem ſuorum & itine-
um & laborum virtutem haberet, ſic incedebat, ut eun-
em fama praeiret, abeuntem exiſtimatio ſubſequeretur.

Quid ad haec, Florentini? quid vultis amplius? quid
equiritis? quid exſpectatis? Eamne adhuc virtutem, o-
mnium pene gentium voce celebratam, comprobatam
uctoritate, Imperio dignam non judicabitis, atque ita di-
gnam, ut Imperium ipſum illi omnino fuiſſe debitum
ulla ratione inficiari poſſitis? Etenim, ubi anteactae vitae
nerita, ubi morum integritas, ubi parta exiſtimatio, ubi
irtus denique ipſa valere poterit, ſi haec, quum tute tui
ericulum facias, quum ad ſummam dignitatem petitor venias,
on proſint, ſi non adſint, ſi non opitulentur? Sapientiſſimos
e Patres in re adeo nota ac pervagata verſatos non fuiſſe ac
eregrinos exiſtimabitis, ut, quod omnes de FRANCISCO ſen-
irent, ſoli ignorarent? Solos ne ita caecutiiſſe, ut, quae
irtutis lux omnium oculos percelleret, hebetes ipſorum
c caligantes acies ne leviſſime quidem perſtringeret? Ca-
ete, quaeſo, ne, ſi tot tantiſque teſtimoniis minime con-
enti ſitis, aut ornatiſſimo Principi graves, aut ſapientiſſi-
no Ordini iniqui eſſe videamini.

Maximum itaque FRANCISCVS ſuorum recte factorum ac
aborum fructum cepit, veruntamen eum, quem ſua
lli virtus acquiſierit, animi dotes atque ornamenta con-
ulerint. Quid enim illi magnificentius poterat adcidere,
quam, in tam edito dignitatis faſtigio, eorum ſuffragiis ac ta-
ellis conlocari, qui in tanti Imperatoris electione, quid de
irtute ſentirent, quantum ipſis commune bonum cordi eſ-
et, quantum de nobis cogitarent, qua mente, quo conſi-
io ad Francofordienſia comitia veniſſent apertiſſime decla-
arunt? Quid honorificentius MARIAE TERESIAE, quam Cae-
aris Vxorem & eſſe & dici, cujus ampliſſimis titulis, qui-
bus ad illum diem ornata erat atque adaucta, hic unus vi-
delicet deerat, ut Auguſto Patre, Auguſta Matre nata, Au-
guſtis Majoribus, ipſa demum ſalutaretur Auguſta? Quid Lo-
haringio Generi praeſtabilius, quam Imperium illud, quod
aepe clariſſimi ex hac Gente viri defenderint atque amplifi-

 ca-

Digitized by Google

carint, ita huic ipſi Genti fuiſſe concreditum, ut Imperium quidem ad FRANCISCUM venerit, ſed decus ad Avos Proavoſque univerſos, ac praeſertim ad te, Carole Frater, invictiſſime Dux, ad te, Anna Carolina ſoror, probatiſſima Faemina: quos quum nomino, ſatis iis tribuiſſe laudis in ipſa nominis commemoratione videor, ſpectet atque pertineat. Quid Auſtriacae ſtirpi (9) praeclarius, quandoquidem novus Imperatorum ordo inſtituendus eſſet, quam hunc ex ea potiſſimum Familia duci, quae Auſtriacae ab ultimis ipſis extremiſque primordiis adfinitate propior ex eodem clariſſimo fonte dimanaſſet? Quid denique nobis optabilius, quam eum nactos eſſe Caeſarem, qui nihil non praeſtiturus ſit, quod noſtris commodis utilitatique deſerviat? Et ſane ſi umquam de Rep. bene ſperandi oblatum nobis divinitus tempus fuit; hoc eſſe intelligo, in quo tanta virtus in altiſſimo dignitatis gradu ſit conſtituta. Hanc ſpem illa nobis facit, illa tot regnorum ac populorum vota ſuſtentat ac fovet, illa nos bono animo eſſe atque erecto jubet, illa hoc de ſe, hoc de unoquoque noſtrum profitetur: ſibi quidem debitum praemium in FRANCISCI creatione redditum, ſed etiam nobis omnibus, fortunis, ſaluti, vitae noſtrae aeque fuiſſe conſultum; &, quo certiora ſperare poſſemus, illa, illa, inquam, eam mentem ſane divinam FRANCISCO dedit, ut eodem ipſo in loco, quo ei ſe Imperatorem eſſe electum nunciatum fuerit, magnificentiſſimum ad poſterorum memoriam ſacellum (10) poſitum eſſe voluerit ac dedicatum. Quo facto ille ſatis oſtendit, ſe omnia ad Deum O. M. cujus nutu res humanae vertuntur, vigent Imperia, rerum omnium viciſſitudines commutationeſque gubernantur, ut par erat, retuliſſe: illa vero ſatis indicavit, nihil eſſe ſive ad publicam utilitatem expetendum, ſive ad privata commoda exoptandum, quod jure ac merito ab eo exſpectari non liceret, qui Imperium ab Religione fuiſſet auſpicatus.

Quae quum ita ſint, quid eſt, cur nobis magnopere laetandum non ſit? quibus una dies tot ac tanta bona adtulerit, dies, inquam, beatiſſima, quum, pleno Senatu, ac conſenſu bonorum omnium, FRANCISCUS factus eſt Imperator. O Idus illae ſeptembres, quam jucundae nobis! quam toti Imperio il-

lluſtres! quam orbi terrarum univerſo fauſtae! quam denique, Caeſar, bene, ut ita dicam, de tua Virtute meritae! quae debitam ampridem illi mercedem differri longius minime paſſae ſunt. Numquam profecto erit, ut illarum fama moriatur: non illas oblivio, non tempus ullum abolere poterit, ſed laetae emper, ac propemodum ſacrae, converſo anni curriculo, recurrent atque eluceſcent. Signabuntur illae quidem ad futurae aetatis memoriam faſtis, inſcribentur annalibus, hiſtoriarum conſignabuntur monumentis. Operam & ipſi noſtram in d conferemus: ſed, quod Tibi gratius fore confidimus, in animis noſtris condentur ac conlocabuntur, ſemper haerebunt nenti, omnium noſtrum ſermonibus creſcent, alentur vocius, linguis celebrabuntur, ac demum, ad Poſteros tamquam aereditario jure tranſmiſſae, numquam non memorabuntur. Hae voces Etruriae, hi ſenſus, haec obſervantiae pleniſſima ignificatio.

Quod vero ad me Sodaleſque meos ſpectat, quorum potiſſimum cauſa honorem, quem es adeptus, tibi ſum gratulatus; illud dico, nos, qui tot nominibus Tibi Familiaeque Tuae mancipati obaeratique ſimus, tacere omnino non potuiſſe. Scimus, quae Tu Societati noſtrae tribueris beneficia, quanta Majores Tui fuerint impertiti, recordamur. Ii Societatem Jeſu in ſuum regnum exceperunt, opibus recrearunt, ſubſidiis confirmarunt, patrocinio tutati ſunt: ii Muſſpontanam Academiam (11) propriam illius eſſe voluerunt: ii Auenſe Collegium (12) condiderunt: ii San-nicolaitanam (13) domum excitarunt: ii in duriſſima illa Gallica acerbitate (14) noſtris olatium ac perfugium praeſtiterunt: ii, quod omnium beneficiorum inſtar ſit, e Suis unum noſtris caſtris adjungi adſcribique minime ſunt dedignati. Carolum illum Lotharingium (15) dico, ſanctiſſimum antea Virodunenſem Antiſtitem, deinde a Gregorio quintodecimo Cardinalem deſignatum, poſtremo in Societate minimum, ſi minimus haberi poſſit is, qui, depoſitis infulis, abdicata ampliſſima dignitate, relicto opulentiſſimo cenſu, ſe magnum, in contemnendis honoribus atque divitiis, immo maximum exhibuerit. m vero tot beneficiis adfecti, tot praeſidiis a Te Tuiſque

 com-

Digitized by Google

communiti, quî in tanto gaudio ac laetitia ſilere, Caeſar, poteramus, in hac urbe praeſertim, Etruriae principe, quae Tuo nomini addictiſſima eſt, in hoc Florentino Collegio; quod praeſentia cohoneſtaſti Tua, in hoc ipſo loco, ex quo fauſtiſſimum illum tuum in hanc urbem adventum (16) permiſeris celebrari. Ingrati certe animi fuiſſet, tacere: adrogantis non eſt profecto loqui. Quum vero omnibus vocem, laetitiae ac voluntatis teſtem, mittere conceſſum non eſſet, omnium infimus adlectus ſum, qui pro omnibus dicerem. Officioſam provinciam libens ſuſcepi, volens pertuli, alacri, ut potui, animo ad exitum uſque perduxi, &, qui ſciam multos in tanto argumento verſatos eſſe, illud palam teſtabor, me quidem omnibus facundia atque ingenio concedere, animo vero erga Te, Caeſar, ac ſtudio nemini.

Quod reliquum eſt, &, quod unum ad tantorum ornamentorum cumulum requiri videtur, quandoquidem & pulcherrima prole ac multiplici beatus es, & Joſephum Auguſtum magnam in ſpem ſubcreſcentem vides, illud communibus votis apprecamur, atque enixis a Deo precibus efflagitamus, ut hocce Imperium, a nobiliſſimo Genere minime abhorrens, honeſtiſſimo Conjugio maxime conſentaneum, praeſtantiſſimae Virtuti Tuae omnino debitum, toti terrarum orbi contingat ſalutare, Tibi diuturnum, Familiae Tuae ſempiternum. Dixi.

ADNOTAMENTA.

1 Eam placuit prae caeteris amplecti opinionem, quae nobiliſſimae gentis originem ab Alſatiae Comitibus atque Lantgraviis arceſſat, quia communior, & inter illas, quae circumferuntur, mihi probabilior viſa eſt. Hujus ſententiae adſtipulatores habeo Cl. virum Auguſtinum Calmetium in Epitome Hiſt. Loth. gallice conſcripta: Antonium Chiuſole in Geneal. tab. 307. Langletium du Freſnoy to. 2. pag. 262. edit. Pariſ. an. 1735. Ludovicum Morerium verb. *Lothaingia.* Jacobum Hofmannum to. 2. in Lexic. verb. *Lotharing.* Martiniere tom. 6. verb. *Lotharingia.* Burlamacchium in MSS. de Principibus Europae Familiis. Videatur etiam Libellus de Familia Lothar. Florentiae editus an. 1738. quem Philippus Zagrius erudite adornavit, & Florentinis Patritiis inſcripſit.

2 Vide Auguſtinum Calmetium in Epit. Hiſt. Loth. ex quo praecipua quaedam ad Lotharingicos Principes ſpectantia excerpſimus. Placuit porro ad ſolos Duces orationem circumſcribere, tum quia exorſus hoc loco orationis ipſius videbatur id poſtulare, tum quia, quum per omnem nobiliſſimae gentis hiſtoriam evagari per tempus non liceret, eos praeſertim commemorandos duximus, qui Imperium obtinuiſſent.

3 Antonius, Lotharingiae Dux, is

eſt,

Digitized by Google

eſt, ex quo, tamquam ex propiore fonte, Auguſtiſſima Familia dimanavit. Fuit Renati II. filius: fratrem habuit Claudium, qui Guiſiae Gentis, quae in Gallia conſedit, auctor & caput exſtitit. Vide Calmetium in Epit. Hiſt. Loth. c. 19. & 20. & Zagrium, ſupra laudatum.

4 Carolus Lotharingius, qui mihi tertius eſt, aliis eſt ſecundus, qui vero mihi ſecundus, aliis primus eſt. In hoc ſequutus ſum Auguſtinum Calmetium, qui cum Caroli I. mentionem nullam faciat, & a Carolo II. exordiatur, videtur eorum ſubſcribere ſententiae, qui Carolum Ludovici V. Galliarum Regis, cognomento *d' Outre-mer*, filium, quattuor Lotharingiis Carolis adcenſent, ut notat Morerius verb. *Carolus IV. aut V. Loth.*

5 Quae de Carolo V. Lotharingio invictiſſimo Duce memoratu prae reliquis digna viſa ſunt, conlegi ex Calmetio in Epit. Hiſt. Loth. c. 25 ex Morerio verb. *Carolus IV. aut. V. Loth.*, & ex Garzonio, qui Hiſt. p. 1. l 1. 2. 4. 5. 8. fuſe res Caroli geſtas perſequitur.

6 Tomyris, Regina Maſſagetarum in Scythia, bellicis artibus dedita, & reportatis victoriis clariſſima. Cyrum Perſarum Regem acerrimo bello perſequuta, filii necem, ab Cyro inlatam, cum ipſius Cyri morte, tum caeſis ducentis Perſarum millibus, ulta eſt. De hac meminit Juſtinus l. 1. Herodot. l. 2. Tibullus l. 4. carm. ad Meſſalam verſ. 144.

Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe.

7 Zenobia, faemina & ipſa in Hiſtoriis celeberrima, graecis latiniſque litteris probe exculta, eademque bellicis addicta ſtudiis, Saporem Perſarum Regem devicit. Virum Odenatum habuit, & Palmyrae, quae Syriae urbs eſt, regnavit. Trebell. Poll. in xxx. Tyran. Vopiſc. in Annal.

8 Vide Salmonium to. 10. c. 5. ſub finem.

9 P. Burlamacchius Soc. Jeſu, eruditiſſimus vir, in Geographia & Genealogiis apprime verſatus, & in publico Senarum Gymnaſio olim Geographiae ſummae cum laude doctor, mihi auctor fuit, ut Auſtriacae ſtirpis originem ad Alſatiae Comites referrem, atque hanc ſententiam amplecterer, quam ipſe in ſupra adlat. MSS. reliquis praefert, & probabiliorem judicat. Hanc eandem ſententiam refert Morerius verb. *Auſtria*, & multis aliis ab ſe recenſitis adnumerat.

10 Hujus rei teſtes non habeo niſi litteras publicas, quae id ſemel atque iterum ad nos pertulerunt, & nonnullos graves ac ſpectatos viros, quos idcirco conſultos volui, ne quid temere dictum eſſet, qui, quum idem ex Germania per epiſtolas ſe certo reſciviſſe adfirmarent, eorum auctoritati mihi omnino acquieſcendum eſſe exiſtimavi.

11 Carolus Cardinalis Lotharingius, ſingulari benevolentia Societatem Jeſu complexus, eidem Muſſiponti magnificentiſſimas extruxit aedes; atque Academiam, ab ſe ea in Vrbe an. 1573. ad liberalium diſciplinarum incrementum, & Catholicae Religionis praeſidium inſtitutam, Societatis curae ac fidei commendavit. Hiſt. Soc. Je. & Morerius verb. *Muſſipontum, Pont a Mouſſon*. Haec porro Academia, tanti Principis liberalitate excitata, quantum excreverit, quantumque, cum Principis ipſius, tum Lotharingiae, cujus bono, in ea condenda, Cardinalis ampliſsimus praecipue conſultum voluit, exſpectationi ac votis reſponderit, ex incredibili diſcipulorum, a quibus celebrabatur, numero ac nobilitate conjici poteſt. Audiatur P. Franciſcus Sacchinus, qui Hiſt. Soc. Je. p. 4. l. 7 n. 144. haec habet. „ Per idem tempus Gymna-
„ ſium Muſſipontanum claritate Audito-
„ rum florebat & numero: inter quos i-
„ pſi Lotharingii Principes, & duo Re-
„ ginae Galliae fratres ſpectabantur; et
„ quidem ita, ut Cardinalis Vadimonta-
„ nus neque diſputare, neque excipere,
„ quae Praeceptor Theologiae dictabat,
„ ſua exiſtimaret majeſtate inferius: au-
„ ctoritatem litteris ea re, ſibi gratiam
„ comparans. Nec minori erant lumina
„ illa juventuti ad pietatem incitamento,
„ quum quotidie intereſſent Sacro, ac
„ feſtis diebus Sacro magno, concioni,
„ precibus veſpertinis; ad haec ſtatas con-
„ feſſiones ſedulo obirent. „

12 Augenſe Collegium in Gallia excitatum fuit a Principibus Guiſiis, ac Societati traditum. De hoc Collegio mentionem facit Juvencius Hiſt. Soc. Je. p. 5. l. 12. n. 30. Augae, ſeu Augum, & Euſium,

Eu-

Digitized by Google

Eu, urbs eſt Galliae in Normannia Provincia ad fluvium Breſlam, non longe a mari, caput Comitatus ditiſſimi, in confinio Picardiae, eſtque media inter Dieppam & Fanum S. Valeriaci, & VII. leucis diſtat ab Abbavilla in occaſum, ut habet Baudrandus in Lexic. Geograph.

13 Erricus a Lotharingia Epiſcopus & Comes Virodunenſis Romam uſque contendit, ut a Clemente VIII. Pont. M. facultatem & Epiſcopatus abdicandi & Societatis ingrediendae obtineret. Quod quum neque Pontifici, neque Claudio Aquavivae, tunc Praepoſito Generali, probaretur, Sanctiſſimus Praeſul eorum conſiliis parendum duxit. Virodunum reverſus Domum Probationis, qua noſtri Tyrones exciperentur, exſtruxit, ut aditum in Societatem, qui ſibi obſtructus eſſet, aliis aperiret. Delecta domui ſedes nobile in Lotharingia oppidum, non longe Nancejo diſtans, quod vulgo S. Nicolai Fanum vocant. Juvencius Hiſt. Soc. Je. p. 5. l. 15 n. 15.

14 Hac de re vide, ſis, Juvencium Hiſt. Soc. Je. p. 5 l. 12. n 13. & ſequentibus, ubi rem totam ſuſe narrat. Profugam e Gallia Societatem Lotharingii Principes, quo eximio ac conſtanti erant in illam ſtudio, ultro in Lotharingiam invitarunt, eique, ut teſtatur idem Juvencius, oppida, fortunas, ſinum peramantiſſime obtulerunt. Societas quidem tanto jactata turbine ſaevienti procellae tunc ceſſit, ſed, quae tot Collegia illo quaſi naufragio abſorpta amiſit, eadem profecto nihil de propria fama atque exiſtimatione apud honeſtos & cordatos viros deperdidit. Sub idem nempe tempus Erricus a Lotharingia, Virodunenſium Pontifex, de quo priore adnotatione Lectorem admonui, Societatem Jeſu enixe petiit, eaque de cauſa romanam profectionem ſuſcepit, una cum viginti Adoleſcentibus e lectiſſima Galliae Nobilitate, quos omnes idem ineundae Societatis ardor incenderat. Subinde vero in florentiſſimum Regnum reſtituta Societas, adnitentibus ad id Clemente VIII. Pontifice Max. & Maria Medicea Henrici IV. Conjuge, Henricum ipſum non placatum ſibi modo, verum etiam propugnatorem ac Parentem experta eſt. Ipſi enim ſapientiſſimis juſtiſſimiſque edictis toto regno cavit: Flexienſe avitum palatium ei dono dedit, ſplendidiſsimum adjecit templum, ac demum, in perpetui ſincerique amoris pignus ac teſſeram, ſuum illi cor ſupremis tabulis legavit, ut propemodum Societati, quod quotidiano fere didicit experimento, tanti fuerit eam ſubiiſſe jacturam, quam tanta deinde bona atque emolumenta fuerint conſequuta. Juven. Hiſt. Soc. Je. p. 5. l. 12. n. 41. & ſequentibus, & ejusdem partis 5. l. 25. n. 54.

15 Carolus a Lotharingia Virodunenſis Antiſtes, quam Societatem Erricus patruus amplecti voluit, ipſe amplexus eſt. In ea integerrime vixit, & magnam ſanctitatis opinionem moriens reliquit. Vide P. Franciſcum Gallutium in Hiſtoria P. Caroli a Lotharingia Romae edita an. 1725.

16 Ex ipſo eodem ſuggeſtu, quo habita eſt haec Oratio, P. Hieronymus Lagomarſinus, eloquentiſſima plane ac doctiſſima Oratione, auſpicatiſſimum FRANCISCI in Etruriam adventum Florentinis gratulatus eſt. Haec Oratio ſemel atque iterum typis Florentiae prodiit. Demum, Auguſtae Vindelicorum una cum aliis ejusdem Auctoris cultiſſimis Orationibus, jam Veneto praelo vulgatis, recuſa fuit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google